Conciones et Orationes eccl.

Wodiczka Augustinus:
Invicta sapientiae forti-
tudo — sive S. Catha-
rina martyr.

Pragae typis s. J. 1698.

Invicta Sapientiæ Fortitudo,

SIVE

Mulier ſortis in Virgine Sapiente:

D. CATHARINA MARTYR PARTHENOSOPHA.

In anniverſaria Solennitate

Coram Senatu Populóque Academico Almæ Cæſareæ Reg: Univerſitatis Carolo-Ferdin: Pragenſis in Eccleſia S. Salvatoris

Collegij Cæſ: & Academici Soc: JESU Pragæ ad S. Clementem.

Panegyricô celebrata.

SUB RECTORATU

Prænobilis Clariſſimi & Excellentiſſimi Viri

DOMINI

JOANNIS FRANCISCI Löw ab Erlsfeldt, AA. LL. & Philoſophiæ, Juris Utriuſque & Medicinæ Doctoris, Sac: Cæſ: Regiæque Majeſtatis Conſiliarij in Alma & Antiquiſſima Univerſitate Carolo-Ferdin: Pragenſi ejuſdem Medicinæ Praxeos Profeſſori, Regij Publici ac Ordinarij; Facultatis Medicæ Senioris, Sacri Lateranenſis Palatij Aulæque Cæſareæ Comitis & Medici, nec non præfatæ Univerſitatis Carolo-Ferdin: Pragenſis p. t.

RECTORIS MAGNIFICI.

Ab

Erudito Domino AUGUSTINO WODICZKA Bohemo Plſnenſi, AA. LL. & Phil. Baccalaureo, Metaphyſices & Ethices Auditore ex Convictu S. Bartholomæi Anno M. DC. XC. VIII.

PRAGÆ, Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Societatis JESU ad S. Clementem.

ORATIO.

EA in Muliere Magnanimæ fortitudinis ſemper fuit æſtimatio, ea invictæ Magnanimitatis apud omnes Coṁendatio, ut profuſis etiam urbium theſauris, expenſis Regnorum Provinciarúmque gazis, coactô denique orbis extremi pretiô licitandam, jam dudum ſapiens judicaverit: *Mulierem fortem quis inveniet?* illius quæſtio eſt an querela; procul *procul & de ultimis* terræ *finibus pretium ejus.* Uſque adeò raras ſcilicet Amazones habet orbis, quæ victricem hoſtibus intentent dexteram, ut auratas Tagi divitias, locupletes Eridani theſauros, & gemmifera Gangis Indici exhaurire hydrophilacia, uni heroæ comparandæ Viragini, parum eſſe videatur, donec imbellis ſexûs probroſa hæc eſt infelicitas: *Timore pleno pavidè in pugnam & ferrum inſpicere. Eurip. in Med.* Sed enim quid lamentaris Orator querule? quid Magnanimam inter fœminas, fœminis ipſe imbellior, deſperas fortitudinem? iṁortalia tot viraginum Priſcarum repete facinora: victorioſas tot glorioſiſſimarum

Heroidum recordare dexteras, neque adeò Novercam Mulieribus naturam, ut nullam heroo robore, virtute maſcula, condecoraret, honeſtarétque, confitebere. Si generoſa Lacænarum Civium fabulam cogitabis pectora, ſi magnanimos Amazonum ſpiritus auram levem arbitraberis, fortem nihilominus heroámque oportet fateare Virginem, quam inveneris ſapientem. Neque ad hoc opus eſt ultimas exſpirantis mundi veſtigare plagas, viciniora Latio Mariũ ſcrutare littora, fortem heroámque Mulierem in Virgine reperies ſapiente, in Martyre Parthenoſopha Catharina: in hac enimverò victricibus inclytam trophæis & laureatis triumphantem adoreis Amazonem, adhucdum ſuſpicit Alexandria, miratur Ægyptus, agnoſcit Africa, colit Evropa, & ſubmiſſo poplite ſapientiſſima Philoſophorum Corona veneratur. Apage jam Amazonum tuarum buccinatrix antiquitas! Apage Heroidum tuarum nundinatrix fabuloſa vetuſtas! inania vanæ temeritatis & audaciæ, non magnanimæ fortitudinis crepas nomina: quâ nihil eſt fortius urbium & orbis domitrice ſapientiâ, hac una triumphat Alexandria felicius, quæ, dum brevi compendio in una Virgine Catharina univerſam complectitur & ſtringit Græciam, dum in puella plenô fluere cernit alveô quam in tot viris guttatim ſeſe prodentem illa ſtupuit ſapientiam, tantò etiam fortitudine & magnanimitate, eminentiorem, virorum reveretur domitricem, quantò ſapientiâ ſublimiorem illuſtriorémque admiratur.

Atque

Atque hoc eſt Magnifice Rector, Spectabiles Decani, Eximij, Clariſſimi, Excellentiſſimi, Doctiſſimíque Sapientiæ Præſides & Profeſſores, Alma Cæſarea Regiáque Carolo-Ferdinandea Pragenſis Univerſitas, túque inprimis Inclyta Doctiſſimáque ad pendendum hodie fortiſſimæ ſapientiſſimæque Palladi tuæ annuum minerval congregata Facultas Philoſophica: hoc, inquam, eſt, quod (dum Catharinæis authorata ſignis Philoſophæ Virginis conſectaris ſapientiam, Martyris etiam imitata fortitudinem, ſecuta magnanimitatem, de profligata triumphos agis ignorantia) mihi in præſentiarum peroraturo dictionis ſubminiſtras argumentum: Invictam Sapientiæ fortitudinem, Mulierem fortem in Virgine ſapiente, verbô: Martyrem Parthenoſopham Catharinam. Fave Senatus Populéq; Academice, & inſipidum pro roſtris oratorem Magnanima fortitudine ſuſtine patienter.

Catharina Martyr Parthenoſopha! & quidni hoc ego te nomine? quidni hoc titulo te compellem? dum quidquid eſt in te cernere, meram ſapit Fortitudinem, meram ſpirat Philoſophiam. Si purpuratas cruore regio intueor Cunas, & principali ſangvine nobilitatas lego faſcias, ecquid amabo dicite affine magìs regali Philoſophiæ? ea ſanè Platonis erat ſententia, ut nemini ſceptrum faſcéſque concederet, neminem regali aptum ſolio & moderandis natum cenſeret Populis, nisì Philoſophum, neminem denique crederet felicius Regibus philoſophari. Eſt Philoſophia ex mente Tullij urbium parens, quid eminentius? eſt huma-

næ Societatis Fundatrix, quid auguſtius? eſt legum inventrix, quid regium magìs? eſt Philoſophia Civium ſalus, moderatrix Populorum, firmamentum Regnorum, tutela Provinciarum, eſt orbis univerſi felicitas, quid principalius?

Si nomen examino, quid tam ſapiens & Philoſophum? quot literis tot liguſtris & lilijs puritatem loquitur Catharina: atqui hæc prima Nazianzeno eſt ſapientia, *quâ puri puro jungimur & ſociamur. In Apolog.* Si Virginem reipſa ſpecto, quid Philoſophiæ, amori ſtudióque ſapientiæ eſt affinius? vos ego hìc ſaniora ethnicæ ſuperſtitionis apello nomina, magna gentilium Philoſophorum conteſtor numina; edicite! edicite! eccur non aliud ſapientiæ numen quàm Virginem præfeciſtis Minervam? eccur non alias ſtudijs Præſides, quam intaminatas præpoſuiſtis Camœnas? fallor nisì antiquiſſimum virginitatis & ſapientiæ nexum indicare voluiſtis. Sed veterum ſordeſcunt fabulæ, chriſtana arridet veritas. Oculos in Cœlum erige Senatus Populéque Academice, quid Angelis in illo doctius quid ſapientius? Intelligentiæ ipſæmet ſunt, ſed & (ità liceat dicere) Virgines ſunt, quando terrenæ Virgines, quæ non nubunt neque nubuntur, Angelis comparantur. Quod ſi inter feliciſſimos Beatiſſimóſque Cœli Cives eorum duntaxat ſcrutemur ſapientiam, qui vel inter venerandos eminent Patriarcharum vertices, vel inter diviniſſimos Prophetarum Cœtus inambulant, vel inter ſublimes Apoſtolici Senatûs dominantur Poteſtates, vel inter laureata Doctorum glomerati agmina,

refulgent

refulgent veluti ſtellæ, vel inter rubicundas Martyrum phalanges candicant, vel denique inter victrices Confeſſorum triumphant Exercitus, quos amabo Doctiſſimos ſapientiſſimóſque ſalutabimus, niſì Virgines? Virgines enimverò ſapientiores cæteris, præter omnia noverunt aliquid quod ignorant alij: peregrinum reliquis melos ſvaviſſimâ dulciſſimáque modulantur harmoniâ. Nunc in terras obtutum reflectite, quis in has ipsā æterni Patris pellexit ſapiētiā? Virginitas; *hæc nubes, aëra, Angelos, ſideráque tranſgrediens, Verbum DEI* (æterni Patris, intelligite ſapientiam & ſophiam) *in ipſo ſinu Patris invenit, totóque hauſit pectore. Ambr. l. 1. de Virg.* Deum immortalem! quale quantúmque pectus Virginitatis! quod eam intra ſe capit concipítque ſapientiam, quam unus ab æterno concipere potuit immenſus paternæ divinitatis ſinus. Teſtem ego hìc omni exceptione majorem, maximum apello Ambroſium, qui geminum paternæ ſapientiæ, Unigeniti Filij, illinc à Patre in æternitate geniti, iſthinc à Matre in tempore nati, indicaturus uterum: *Sinus*, inquit, *erat in DEO Patre divinitas, in Matre Virginitas, Serm. 28.* diviniſſimo videlicet ſapientiæ partu fœcundata. Sed longius digreſſam Catharina Parthenoſopha revocat orationem; in qua ſi cætera virtutum ſpectem Catharinæarum decora & ornamenta, ecquid rurſus aſſymbolum magìs Philoſophiæ? eſt illa virtutis indagatrix Tullio, eſt morum Magiſtra, eſt vitæ Dux: *neque aliud quidpiam alienum eſt ſapientiæ niſì quod incongruum eſt virtuti. Ambr: Ep: 36. ad Conſt.*

Quis

Quis mihi ſit dignus ſapientis nomine, quæris?
Accipe: cui virtus jam ſapit, ille ſapit.

Denique ſi Martyrem contempler Catharinam, quidni dicam Parthenoſopham? eſt namque Philoſophia, amara mortis contemplatione & memoriâ, Martyrium quodpiam incruentum; atque hinc dum Parthenoſopham hactenus oſtendi Catharinam, Martyrem ſimul demonſtravi, dum ſapientem aſſerui, fortem aſſeveravi, tam arcto ſtabilíque fœdere ſapientia Catharinæ ſibi fortitudinem copulavit, ut victrix ſemper, devicta nuſquam, repetitos hoſtiũ infringeret auſus generoſior, tela retunderet vehementior, & immanes ferocientis Tyranni furias, indomitam Maximini rabiem domaret glorioſior, ſterneret, detriumpharet. Sed nè quæſitô verborum lenociniô invictam ſapientis Catharinæ fortitudinem effœminare videar, veſtris potius Amazonem Magnanimam ſpectate oculis Auditores. & ecce! tota in unam Ægyptus glomeratur Alexandriam, tota in unum profani Apollinis delubrum confluit Alexandria: currit cum plebe Senatus, cum ſenibus juventus, cum cive peregrinus, cum ſacrificulo Imperatore Maximino ſceleſtam numini ſceleſtiori hoſtiam, quindena ſuper hecatomben ferocium taurorum paria, imperiali ad aras acinace litatura; quis veſanam ſuperſtitioſæ gentilitatis corriget irreligionem? corriget Magnanimitas Catharinæ. Quis improbiſſimum ſcelus & illatam vero Numini tam palmarem vindicabit injuriam? vindicabit magnanimitas Catharinæ.

Quis

Quis hoſtiarum madentem ſangvine Maximini ſiſtet dexteram? ſiſtet magnanimitas Catharinæ. Quis tot aſſvetam jugulis machæram à coede prohibebit? corriget, vindicabit, ſiſtet, prohibebit magnanimitas Catharinæ. Et en! ut probroſam gentilium ſacrificiorum deteſtata immanitatem, impiam ſceleſtiſſimorum rituum execrata ſuperſtitionem, per denſos Idololatrarum cuneos irrumpit in delubum; non illa imperialem Cæſaris veretur trabeam, non ardentem Tyranni expaveſcit vultum, non fulminantes Maximini horreſcit oculos, non promptas in vindictam manus, non ſtrictum in neces timet acinacem; non futuris tormentorum abſterretur cruciatibus; quin Maximinum conſpicata belluino jam contaminatum ſangvine, generoſa interpellet apoſtrophe: Siſte, inquit, Maximine! itáne verò Auguſtum orientis caput, tot Africæ verendum nationibus, tot Populis metuendum, fœdiſſimis dæmonum larvis in probroſiſſimam tui ipſius atque Imperij Romani Ignominiam turpiſſimè ſubmittes? itáne verò honores Divum, Deíque cultum ijs impunè deferes? qui cùm inter mortales agerent, vitam propudioſiſſimis moribus ſceleſtiſſimáque libidine contaminârunt? O! Cymmerias errorum tenebras! Uno veróque contempto Numine, innumeros de averni ſpecu protrahere & adorare deaſtros: Vah nefas! Maximine ſiſte! Imò verò ſiſte tantiſper impetum neque tui Catharina penitus obliviſcere; quid agis? audi! ſpecta! non expaveſcis glomerata gentilium agmina Cæſarem

rem

rem Deósque vindicatura? ridet. Non contremiſcis ad ſangvinantes ſacrificulorum Machæras? contemnit. Non Maximini te movent furiæ? nîl movetur. Non minæ, non te terrent Cataſtæ? exoptat. Ergò age, fortitudinem tuam deinceps exere Catharina! progredere! quô furiosâ Maximini te vocat rabies, in theatrum, jam ſcena magnanimitatis panditur, & O! Deum immortalem! quale proſcenium! dureſcit in ferrum, rigeſcit in lanceas, crudeſcit in enſes, curvatur in rotas, exſurgit in Cruces, accenditur in flammas, tenuatur in taurẽas, liveſcit in virus, in ſcorpios animatur, vides hæc & impeterrita ſpectas Catharina? vide vide ut ſcena acuitur in pectines, globatur in grandines, horreſcit in ungulas, aſperatur in ſerras, ardeſcit in fulgura, lapideſcit in fulmina, fulgurat, tonat, fulminat, & adhuc non moveris Catharina? ſed quid video? quid ſpecto Auditores! Catharinam in terras curvantem genua intueor, lacteámque cervicem ſub cruento inſanientis Tyranni gladio fatalem ictum præſtolari; jam Purpuratus carnifex torvo vultu exporrigit oculos, cohorreſcite ad monſtrum! colligit in venas rabiem, contremiſcite! enſem vibrat, expalleſcite! ictum intentat, heu ferrum cohibete ſpectatores! Sed actum eſt, jam cecidit, jam jacet Catharina! & hæc Catharinæ de Maximino triumphatrix eſt magnanimitas? hæc invicta ſapientiæ fortitudo? Sic eſt! imbellem ſanè profiterer ſapientiam ſi morte vinceretur; vivit hodiedum victorioſa Catharinæ magnanimitas & profuſo lacte

ſapi-

ſapientis Virginis in fortem enutritur Mulierem, deſævientis Loethi ceſſura periculis, nisì fatalibus extremum quoque ſpiritum cederet cataſtis. Io triumpha Catharina! Magnanima ſapientiæ tuæ fortitudo nunquam patuit magìs, quàm cùm devicto prius ad aras Maximino, ſuperatis dein quinquagenis Ægypti ſapientibus, mortem denique ipſam generosè mortua, detriumphâſti.

Nunc ad te mea convertitur Oratio inclyta ſapientum Corona Almæ Cæſareæ Regiæque Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragenſis Senatus Populéque Academice: dúmq; tu laureatas Amazoni tuæ Parthenoſophæ Martyri Catharinæ gratularis adoreas, ſine tibi ut magnanimam gratuler Catharinam; illa invictæ ſapientiæ tuæ pretioſum uſque hodie diſtillat oleum & ceroma, quô delibuta luctatrix ſapiens & Magnanima, Catharinæo perennes nomine, gloria, & honore.

DIXI.